EPISTOLA B. PAULI AD ROMANOS

DISTRIBUTIO

EPISTOLÆ AD ROMANOS.

Occasio hujus epistolæ fuit disceptatio de præcellentia inter Judæos et Gentiles Romæ exorta.

In duobus primis Capitibus Paulus docet omnes, tum Judæos tum Gentiles, violasse legem naturalem et legem Mosaicam, proindeque omnes esse sub peccato et egere Redemptione Christi qui justificationem omnibus afferat.

In tertio capite docet justificationem a Christo allatam, per fidem non vero per opera legis, obtineri.

In quarto, hunc justificationis modum exemplis confirmat.

In quinto, hujus justificationis per fidem obtentæ excellentiam et fructus commendat.

In sexto, hortatur fideles ut huic justificationi excolendæ et conservandæ studeant.

In septimo, docet nos, etsi sub gratia viventes, esse tamen adhuc obnoxios motibus concupiscentiæ ; sed legem Mosaicam a fide in eo discrepasse quòd lex Mosaica concupiscentiam occasionaliter irritabat, dum e contra gratia eam minuit et ejus remedium præstat.

In octavo, de fructibus fidei et gratiæ disserit.

In nono, decimo et undecimo, ex sua doctrina concludit Judæos pro majori parte non esse in via justitiæ, quia justitiam seu justificationem ex solis operibus exsurgere crediderunt ; a Gentilibus autem adeptam fuisse, quia eam in fide quæsierunt.

In capitibus duodecimo, decimo-tertio, decimo-quarto et decimo-quinto, exercitia Christianarum virtutum et morum regulam proponit.

In decimo-sexto, salutationes dat Romanis et epistolam benedictione claudit.

Hæc epistola primum locum tenet, non ratione temporis quo scripta fuit, sed ratione vel dignitatis ecclesiæ Romanæ vel ordinis quem exigit doctrina, scilicet ut prior consideretur gratia fidei quæ est caput omnium gratiarum.

Scripta est anno Christi quinquagesimo sexto, dum Paulus esset Corinthi.

CAPUT PRIMUM.

Paulus suum Apostolatum commendat, Romanos salutat et eos invisendi consilium manifestat. Docet :

1° Justum ex fide vivere;

2° Gentiles, ante adventum Christi, licet Deum ex creaturis agnoverint, non eum tamen sed idola coluisse, ideoque ab illo in reprobum sensum traditos fuisse.

Unde concludit homines fide et gratia Redemptoris eguisse.

Paulus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus et segregatus in Evangelium Dei,

(Salutem do vobis ego) Paulus, servus Jesu Christi, vocatus (a Deo ut sim) Apostolus, et segregatus (a Christo) in (prædicandum) Evangelium Dei,

Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis,

Quod (ille Deus multo) ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis (et quo nos edocendi eramus)

De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem,

De Filio suo, qui factus est ei (per virtutem Spiritus sancti), ex semine David secundum carnem (seu secundum naturam humanam, et)

Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu-Christi Domini nostri,

Qui (autem) prædestinatus est (ab æterno secundum naturam divinam ut sit) Filius Dei, (et qui manifestatus est ut talis, 1°) in virtute (miraculorum quæ patravit, 2°) secundum spiritum sanctificationis (quem in Apostolis et Christianis infudit, 3°) ex

resurrectione mortuorum (et suiipsius) Jesu Christi Domini nostri; (ego, inquam, servus illius Jesu Christi),

Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei (et ad stabiliendam illam fidem) in omnibus gentibus pro nomine ejus (glorificando et pro propagando ejus Evangelio inter has gentes), in quibus estis et vos vocati (per gratiam) Jesu Christi, (exopto ut vobis)

Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus; in quibus estis et vos vocati Jesu Christi :

Omnibus, qui sunt Romæ (fratribus nostris et) dilectis Dei (et) vocatis (ut sitis ex) sanctis, gratia vobis et pax (dentur) a Deo Patre nostro et (a) Domino (nostro) Jesu Christo.

Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum, (a quo omnia bona procedunt), pro omnibus vobis; (gratias ago) quia (seu quòd fides vestra annuntiatur (et ejus fama manifestatur) in universo mundo.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

Testis enim mihi est (ille) Deus, cui servio (et quem colo non in cæremoniis Judaïcis sed) in spiritu meo, (paratus ad impendendum ultimum usque spiritum) in (prædicando) Evangelio ejus, (testis est mihi, inquam), quòd sine intermissione memoriam vestri (in corde) facio,

Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio,

Semper in orationibus meis obsecrans si (et) quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam, (modo id fieri possit) in voluntate Dei, (et occasionem) veniendi ad vos.

Semper in orationibus meis obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam

in voluntate Dei, veniendi ad vos :

Desidero enim videre vos ut (per ministerium meum) aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, (quam ego accepi ut minister Christi) ad confirmandos vos (in fide et in aliis donis quæ jam accepistis),

Desidero enim videre vos ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos,

Id est (ut possim) simul (et vos exhortari et ipsemet) consolari in vobis per eam, quæ (jam nobis communicata est et magis ac magis) invicem (communicanda) est, fidem vestram atque meam.

Id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam.

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia (seu quòd) sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut (ex prædicatione Evangelii) aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus (habui. Vocatus enim a Deo ut sim apostolus),

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia (seu quòd) sæpe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc), ut aliquem fructum habeam et in vobis sicut et in cæteris gentibus.

Græcis (nobilissimis) ac barbaris (qui græcas litteras ignorant), sapientibus (eruditis) et insipientibus debitor sum (et impartialis distributor doctrinæ Evangelicæ esse debeo. Itaque)

Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.

Ita quod in me promptum, (seu in quantum ad me attinet), et vobis (quoque) qui Romæ estis evangelizare cupio. Per parenthesim addo quod si nondum ad vos veni, nolite putare me præ aliquo timore non venisse) ;

Ita quod in me promptum est et vobis qui Romæ estis evangelizari.

Non enim erubesco (ego) Evangelium Dei, (sicut erubescunt Judæi qui Christum utpote crucifixum contemnunt, aut sicut gentiles qui illius Evangelium quasi stul-

Non enim erubesco evangelium Dei : Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Ju-

titiam rident ; ego vero credo quòd in hoc Evangelio) virtus enim et potentia Dei est (et valet proficere) in salutem omni credenti, Judæo primum (cui priùs et potissime promissum fuit), et (deinde) Græco (seu Gentili cui nunc annuntiatur ex quo a Judæis rejectum est. Hic parenthesim claudens et rediens ad propositum vos edocendi, dico :)

dæo primum et Græco.

Justitia *enim* Dei (quam vos edocturus sum, non philosophica, nec Judaïca, sed divina qua Deus per Christum nos justificat), in eo (Evangelio nobis) revelatur (et proponitur utpote incipiens) ex fide (et in dies crescens) per fidem (quæ charitatem et alias virtutes excitat), sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. (Hanc Dei justitiam in fide consistere probatur ex eo quòd)

Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit.

Revelatur *enim* ira Dei (cadens) de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui, (utpote fide destituti), veritatem (seu veram Dei notitiam et cultum) in injustitia (et in iniqua sua voluntate velut in carcere) detinent, (non sinentes eam notitiam transire ad opera veritati notæ conformia. (Cecidit hæc ira Dei super illos, inquam,)

Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent.

Quia quod (naturaliter) notum (et cognoscibile) est (de existentia et aliis attributis) Dei, (per solum lumen rationis sufficienter) manifestum est in illis (seu in illorum intellectu, ut Deum et Dei veritatem agnoscere potuerint) : Deus enim ipse (per

Quia quod notum est Dei manifestum est in illis ; Deus enim illis manifestavit.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tellez

hoc lumen naturæ convenienter) illis manifestavit (ea quæ de seipso credi volebat. Nonne)

Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles,

Invisibilia enim (attributa) ipsius (Dei) a creatura mundi (et rebus in mundo creatis et) per ea (omnia) quæ facta sunt (aprime fiunt cognita et) intellecta, (si attente) conspiciuntur? (nonne, verbi gratia, ejus sapientia et) sempiterna quoque ejus virtus (seu potentia) et (ejus) divinitas ita (elucent in illis operibus ejus), ut sint (omnino) inexcusabiles, (alii quia non cognoverunt, alii autem)

Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum:

Quia, cum cognovissent Deum, (eum) non sicut Deum glorificaverunt aut (ei congruas) gratias non egerunt, sed evanuerunt (et erraverunt) in cogitationibus suis (quibus a Deo creatore ad creaturas et ad idola deflexerunt; unde corruptum) et obscuratum est cor eorum: (putantes et)

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (et adeo stulti ut naturam Dei omnino deturpaverint; converterunt enim)

Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium.

Et mutaverunt gloriam (hujus) incorruptibilis Dei (illam transferendo) in similitudinem (corpoream) imaginis corruptibilis hominis, (imo) et volucrum et quadrupedum et serpentium, (quos omnes ut Deos et in locum veri Dei adoraverunt:)

Propter quod tradidit illos Deus

Propter quod (sacrilegium iratus) tradidit illos Deus (permissive, non autem

active), in desideria (prava) cordis eorum, (quæ illos præcipites dederunt) in immunditiam (fœdissimam et usque adeo fœdam) ut contumeliis (et ignominia) afficiant corpora sua (per adulterium et fornicationem commissam) in semetipsis. (Proh! infames).

in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.

Qui (sic) commutaverunt veritatem (seu verum cultum) Dei in mendacium (seu in mendacem cultum idolorum), et coluerunt (falsos Deos), et servierunt creaturæ potius quam creatori qui (solus dignus) est (qui adoretur et) est benedictus in (omnia) sæcula. Amen.

Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori qui est benedictus in sæcula. Amen.

Propterea, (ut jam antea dixi), tradidit illos Deus in passiones ignominiæ (plenas; non autem solos homines sic tradidit); nam (ipsæ) feminæ eorum immutaverunt naturalem (copulæ) usum in eum (abominabilem) usum qui est contra naturam;

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam.

Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt (instar pecudum) in desideriis suis, (fornicationem exercentes) in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, (quam illos accipere decuit et) oportuit erroris sui in semetipsis recipientes, (nempe corporis deturpationem et pecoribus assimilationem).

Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.

Et (ita de illis actum est), sicut (ipsi erga Deum egerunt, nam) non probaverunt (operibus suæ notitiæ conformibus

Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus

in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.

se) Deum (verum) habere in notitia, (ut revera habebant aut habere poterant; ideo) tradidit illos Deus in reprobum sensum (usque adeo) ut faciant ea (quæ supra memoravimus et quæ creaturæ rationali) non conveniunt. (Ex qua reprobatione factum est ut illos invenias)

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones.

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,

Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

Detractores, Deo odibiles (et Dei osores,) contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.

Insipientes, incompositos (seu turbulentos et insociabiles), sine (ulla honesta) affectione, absque fœdere (seu fœdifragos), sine misericordia, (cæcos et miseros homines)

Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum ii qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Qui, cum justitiam Dei (sufficienter) cognovissent (ut ab his vitiis abstinendum et illi serviendum esse norint), non intellexerunt, (quia intelligere noluerunt) quoniam (seu quòd illi) qui talia agunt digni sunt morte, et non solum ii qui ea faciunt sed etiam (ii) qui consentiunt (ea) facientibus, (nempe philosophi qui, etsi hæc esse mala scirent, tamen sive præ

metu sive præ amore prævaricatorum ea probaverunt aut toleraverunt.)

CAPUT II.

His pro Gentilibus dictis, transit ad Judæos ut eos pariter confundat : 1° Judæos docet esse in peccatis, sicut Gentiles, proindeque fide et gratia Christi egere; 2° Judæos redarguit, qui Gentiles condemnant, dum eadem peccata perpetrant; 3° Asserit non auditores sed factores legis solos justificandos fore; 4° Docet circuncisionem cordis, non vero corporis, proficere ad salutem.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas! In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.

Propter (hoc) quod (de Gentilibus modò dictum est, tu quoque et a fortiori) inexcusabilis es, o homo omnis (Judæe), qui judicas (et condemnas Gentiles)! In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim (peccata) agis quæ judicas. (Dico vos, o Judæi, Gentilibus inexcusabiliores esse ; nos Judæi)

Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

Scimus enim, (melius quam illi), quoniam (seu quòd judicium Dei exercendum est secundum veritatem (et justitiam) in eos qui talia (crimina superius citata) agunt. (An)

Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei ?

Existimas autem hoc, o (tu) homo qui judicas eos qui talia agunt, (cum) et tu facis ea, quia (seu quòd) tu effugies judicium Dei? (Unde ista tibi persuasio? Certe non ex ignorantia, siquidem per legem mosaïcam eruditus es) :

An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contem-

An (igitur) divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis ejus ita) contemnis (ut te non puniendum speres, quia

nis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

pœna a Deo differtur? an) ignoras quoniam, (sic pœnam differendo), benignitas Dei te ad pœnitentiam (invitat et) adducit? (Si huic benignitati resistis, scito quòd)

Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus;

Secundum *autem* duritiam tuam et impœnitens cor (tuum), thesaurizas tibi iram (quæ cadet super te) in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus;

Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam;

Iis quidem, qui secundum patientiam (quodvis adversi supportantes et quodvis) boni operis (operantes), gloriam et honorem (apud Deum) et incorruptionem (vitæ futuræ) quærunt, (reddet) vitam æternam;

Iis autem, qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.

Iis autem, qui sunt (capientes) ex contentione (consilium et vivendi modum erga Deum et homines), et qui non acquiescunt (mente et opere) veritati (cognitæ et) credunt autem (et consentiunt) iniquitati, (superveniet) ira et indignatio (divina; et sic eveniet sine discrimine Judæis et Gentilibus):

Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci.

Tribulatio (enim) et angustia (irruent) in omnem animam hominis operantis malum, (in animam) Judæi primum (magis noxii quam Gentilis, quia plures quam ille gratias accepit; secundo) et (in animam) Græci, (quia minus accepit. Similiter et in eadem proportione),

Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.

Gloria *autem* et honor et pax (in terra et in cœlo dabuntur) omni operanti bonum, Judæo primum (qui, ut principalior erit in pœnis, debet esse potior in remuneratione, et ratione majoris meriti quod acquisiverit obediendo legi suæ quæ concupiscentiam ejus irritaverit magis quam lex naturalis concupiscentiam Gentilis; et secundo) Græco (seu Gentili qui, utpote legis Mosaicæ operibus non subjectus, minus fuit in periculo peccandi. Ex cujusque operibus Deus merita depromit, non autem ex personis);

Non est enim acceptio personarum apud Deum.

Non est enim acceptio personarum apud Deum:

Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

Quicunque enim sine lege (scripta) peccaverunt, sine (hac) lege (sed sola lege naturali judicabuntur; cui si infideles fuerint, secundum eam condemnati) peribunt: et quicunque (degentes) in lege (scripta) peccaverunt, per (hanc) legem judicabuntur (et condemnabuntur. Nolite autem confidere, o Judæi, in hoc quod legem habuistis, nisi ejus opera feceritis);

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

Non enim (ii, qui sunt tantummodo) auditores legis, justi sunt (et habentur) apud Deum; sed (illi, qui sunt) factores (operum in codice) legis (præscriptorum), justificabuntur. (Unde concludendum contra hæreticos non per solam fidem, sed per opera fidei adjuncta nos justificari. Quid autem de Gentilibus qui legem scriptam non habuerunt? Respondeo):

Cum enim Gen-

Cum *enim* Gentes, quæ legem non ha-

tes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.

bent (scriptam, lumine rationis et) naturaliter (gratia Dei tamen præveniente et adjuvante), ea quæ (hujus) legis (naturalis) sunt faciunt, ejusmodi (homines) legem (aliam ac naturalem) non habentes, (habentes autem legem conscientiæ suæ quæ illos a malo sufficienter avertit et ad bonum provocat), ipsi sibi sunt (quasi) lex (quæ sufficit ad eorum condemnationem. Quoad illos Gentiles)

Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

Qui ostendunt (per) opus (quod agunt, se habere codicem) legis scriptum in cordibus suis, (ut patet ex sua) testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus (malis illos) accusantibus aut etiam (bonis illos) defendentibus, (hæc conscientia erit regula eorum condemnationis aut justificationis)

In die cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelicum meum, per Jesum Christum.

In die (judicii), cum judicabit Deus (opera) occulta hominum; (quod judicium) secundum Evangelium meum, (quod prædico,) per Jesum Christum (fiet. Sic erit quoad Gentiles : quid autem quoad Judæos ?)

Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo,

Si autem tu, (qui) Judæus cognominaris, et (tibi places et) requiescis in lege (mosaïca), et gloriaris in eo quod excellentiorem de Deo cognitionem habes),

Et nosti voluntatem ejus et probas utiliora instructus per legem,

Et (quòd) nosti (melius per hanc legem) voluntatem ejus, et (quòd) probas (et discernis apprime ea quæ sunt) utiliora (ab iis quæ sunt minus utilia, utpote) instructus per legem ; (si, inquam, ex hac legis cognitione superbiens credis et)

Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,

Confidis teipsum esse (ita edoctum ut te præbere valeas tanquam) ducem cæcorum (et) lumen eorum qui in tenebris sunt, (et tanquam)

Eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege;

Eruditorem insipientium, (et) magistrum infantium, habentem formam (seu regulam) scientiæ et veritatis (quæ) in lege (continentur, quid hæc scientia tibi prodest ? Nam tu)

Qui ergo alium doces teipsum non doces, qui prædicas non furandum furaris,

Qui *ergo* alium doces, teipsum non doces, (siquidem aliter dicis, aliter vivis ; tu) qui prædicas non (esse) furandum, furaris ; (tu)

Qui dicis non mæchandum, mæcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis,

Qui dicis non mœchandum, mœcharis ; (tu) qui, (si tuis verbis credatur), abominaris idola, sacrilegium facis (vel vota violando vel res sacras vendendo : tu)

Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

Qui in lege (utpote a Deo accepta) gloriaris, per prævaricationem (hujus) legis Deum inhonoras ; (sic enim agendo causa estis, o Judæi, cur)

Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est :

Nomen *enim* Dei per vos blasphematur inter Gentes (quæ, videntes scelera vestra impune esse commissa, in Deo vestro impotentiam aut injustitiam arguunt), sicut scriptum est. (Forte confidis in fœdere quod pepigit Dominus cum populo tuo, et in ejus sigillo quod in carne tua gestas, nempe in circumcisione ? Attende autem quòd)

Circuncisio quidem prodest, si legem observes ; si autem prævaricator legis sis,

Circuncisio quidem (tibi) prodest (in eo quod est signum distinctivum electionis tuæ, et) si legem observes : si autem prævaricator legis sis, circuncisio tua (erit

circuncisio tua præputium facta est.

tantummodo carnalis et mere materialis, proindeque sicut) præputium (incircuncisorum coram Deo) facta est.

Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur?

Si igitur (circuncisio spiritalis, quæ consistit in observatione legis, est sola vera et grata apud Deum, et si) præputium (seu Gentilis incircuncisus) justitias legis custodiat (et opera faciat quæ lex præcipit,) nonne præputium illius (ei merito) in circuncisionem reputabitur (et ei mercedem filiis Abrahæ promissam merebitur? imo)

Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te qui per litteram et circuncisionem prævaricator legis es?

Et judicabit id (Gentile genus,) quod ex natura est præputium, (si fuerit) legem (adimplens et) consummans, te, (o Judæe) qui, per litteram (legis instructus) et circumcisionem (gestans), prævaricator legis (nihilominus) es.

Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circuncisio,

Non enim (ille), qui in manifesto (tantùm Judaismum profitetur, vere) Judæus est (et Deo gratus); neque (illa) circumcisio, quæ (est tantummodo) in manifesto, (scilicet) in carne, est circuncisio (vera et coram Deo acceptabilis);

Sed qui in abscondito, Judæus est; et circuncisio cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est.

Sed (ille), qui in abscondito (cordis sui fidem et virtutes recondit, vere) Judæus est; et circuncisio cordis (facta) in spiritu (per præcisionem vitiorum), non autem (illa quæ fit solummodo in) littera (et in carne, Deo grata est): cujus (circumcisionis spiritalis) laus, non ex hominibus (qui carnalia tantum vident et æstimant), sed ex Deo (qui intuetur cor) est (consideranda et appetenda).

CAPUT III.

Postquam sic Judæos et Gentiles sub peccato esse inclusos demonstravit, docet: 1° Judæos Gentilibus in eo præcellere quòd eis credita sint promissa Dei quæ, invita nonnullorum prævaricatione, erga gentem suam Deus adimpleturus est; 2° Iterum docet Judæos æquales Gentilibus esse sub illo respectu quòd uterque populus sit sub peccato; 3° Docet omnes a peccato liberari et justificari, non principaliter ex operibus legis Mosaïcæ, sed ex fide in Jesum Christum utriusque populi mediatorem.

Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circuncisionis?

Quid ergo, (objiciet aliquis Judæus), amplius Judæo est (quam Gentili)? aut quæ (est) utilitas circuncisionis (pro Judæo præ Gentili? Respondeo:)

Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.

Multum (utilis est, et) per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis (tanquam prædilectis) eloquia Dei, (nempe lex, oracula et Prophetiæ. At aliquis objiciet: Si quidam ex illis non crediderunt istis prophetiis, an Deus promissis suis ex parte sua obstringitur? Respondeo:)

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit,

Quid *enim* si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit (seu enervabit?) Absit (ut hoc credamus! Deus promissis suis erit fidelis, quia)

Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: « Ut justificeris in ser-

Est *autem* Deus verax (et fallere nequit); omnis autem homo mendax est (ex sua natura depravata; homo igitur suis promissis infidus esse potest, non vero Deus), sicut scriptum est (et probatur per verba